



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni

Pedro <de los Angeles>

Coloniæ Agrippinæ, 1681

Disputatio III. De amissione & cessatione Privilegiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

DISPUTATIO TERTIA.

De amissione & cessatione Privilegiorum

EXmultiplici capite potest cessare privilegium, vel per renunciationem, vel per non usum, vel per usum contrarium, vel per abusum, vel per cessationem causæ finalis, vel denique per revocationem concedentis, seu habentis æqualem potestatem. Et ut è medio tollatur omnis confusio in hac disputatione agemus de renuntiatione, non usu, usu contrario, de abusu, & de causâ finali, & latè in sequenti de revocatione, quæ potissimum habet locum in hac parte.

SECTIO I.

De renuntiatione privilegiorum.

108. 1. CIRCA renuntiationem privilegij, dico primò. Privilegij concessis in favorem totius Religionis, Ecclesiæ, Conventus, Collegij, vel alicujus Communitatis, nullus particularis potest renuntiare; nec valet renuntiatio, etiamsi juramento firmetur. Unde nec Clerici, nec Religiosi possunt renuntiare nec validè, nec licitè privilegio Canonis, *Si quis suadente diabolo*, juxta Cap. *Conring. de sent. excom. in 6.* Nec privilegio fori, secundum Cap. *si diligenti, de for. comp.* nec vasalli in præjudicium Dominorum suorum; nec filij familias in damnum Parentum; nec Religiosus in damnum suæ Religionis, quia ad hoc nullam habent potestatem, cum hujusmodi privilegia concernant favorem Communitatis, & jus tertij, Bonacin. *de leg. tom. 2. disp. 1. quest. 3. p. 8. §. 6. n. 7.* Pelizar. *Tom. 2. Tract. 8. cap. 1. sect. 5. quest. 7.* Bordon. *resolut. 52. num. 108.* Chassaign. Donatus, & alij omnes, & hoc verissimum est, etiam si omnes alicujus Religionis, vel communitatis divisim renuntiationem intendant; dummodo collectivè in Capitulo habent potestatem, juxta dicenda, id non efficiant; siquidem aliud est Communitas, vel Collegium;

aliud verò singuli de Communitate, vel Collegio. Nam Communitas non dicitur facere, nisi id quod facit legitimè congregata faciat; non verò, quod singuli separatim fecerunt. Bartol. *in l. omnes populi 3. quest. secunda questioe principalis ff. de just. & jur.* quia ad plures pertinentes, ut plures, requiritur simultaneus consensus, nec satis est, quod separatim adhibeatur, Cap. *in genere, de elect.*

2. Idem dicendum, quando res pertinet ad omnes, & singulos, dummodo talis sit, in qua major pars possit præjudicare minori; & habetur in *l. juris gentium, §. fin. ff. quod cujusq. univers. nomine*, Abb. *in Cap. cum omnes de const. num. 7.* cum alijs, quos citat, & sequitur Villaguta *in Tract. de reb. Eccles. matè alienatis lib. 1. part. 1. cap. 123. n. 4.* Tamb. *de jur. Abb. tom. 1. disp. 16. quest. 5.* ex quibus inferunt Prælatos Ecclesiarum, & Religionum tacendo, & patiendo, ut præscriptio currat contra eorum Ecclesias, seu immunitates, saltem tacitè illis præjudicare, quod non culpâ caret.

3. Dico secundò, neque Prior, neque Provincialis, neque Generalis possunt talem renuntiationem facere, nec validè nec licitè, ex defectu potestatis, quia bo-

109.

110.

na

bonis communibus renuntiare non possunt per se ipsos, imò neque Conventus, neque Capitulum Provinciale id poterit, quando jus est acquisitum Communitati, & sic contra renuntiationem, se opponere potest quilibet particularis; imò addit noster *Lezan. Tom. 4. verb. Privilegium Regul. num. 14. & Tom. 1. cap. 10. à num. 54.* probabilissimum esse, quod nec Capitulum Generale potest renuntiare privilegijis suæ Religionis, nisi illa minus utilia sint ipsi Religioni, aut sint indifferentia, juxta *Cap. cum accessissent, de constitut. & ibi Abb. & docent Suar. Tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 1. num. 3. Layman. lib. 1. de leg. tract. 4. cap. 23. in q. de privileg. num. 20 §. 3. Bonacin. punct. 8. §. 6. vers.* Si quæras & alij. Ratio est, quia privilegia sunt bona Religionis & juri per illa acquisito renuntiare est propriè species alienationis, quæ prohibita est Regularibus, non habentibus specialem licentiam Pontificis. Unde qui renuntiat privilegio, non habens potestatem, & qui cogit ad talem renuntiationem faciendam, nihil faciunt, & peccant graviter, *P. Chafaing. Tractat. 2. propos. 2. videatur Joan. de la Cruz in Summ. privileg. maris magni, tit. de pact. regul. extra ordinem initis.*

III. 4. His non obstantibus communiter docent Doctores, quod Capitulum Generale potest renuntiare privilegio, quia repræsentat totam Religionem, & semper præsumitur, quod in majus bonum illius renuntiabit, & meo videri ab hac opinione minimè recedit noster *Lezana ubi supra*, quod constat ex limitationibus, quas affert. Insuper sunt aliqua privilegia concedentia potestatem renuntiandi, seu moderandi Capitulo Ge-

nerali: sic concessit *Leo X.* ut refert *Comp. privileg. verb. Generalis, §. 24.* De Capitulis verò Provincialibus, pro sua Provincia, idem habetur ex *Alexandr. IV. Bulla incipiente: Mente sollicita*, ubi declarat pacta inita cum Clericis, sine assensu Generalis, vel Provincialis Minorum, esse nulla: idem statuit pro Dominicanis *Honorius IV. Const. Religionis favor, & Jul. II. pro Minimis*, sed per prædicta pacta renuntiabant tunc aliquibus privilegijis; ergo, & nunc possunt dicti superiores, cum suo Capitulo, renuntiare privilegijis; imò addit *Bordon. Resol. 52. num. 109.* quod idem possunt Prælati locales cum suo Capitulo, ut constat ex *Cap. 1. & 3. de pact. in 6.* sed consuetudo Religionis attendenda est; quia meo videri præfata doctrina solum erit vera, loquendo de privilegijis concessis alicui particulari provinciæ, vel conventui, quæ non participant aliæ Provinciæ, vel Conventus; si quæ dantur, quia talia privilegia sunt propria talis Provinciæ, seu Conventus, & sunt quasi personalia, & possunt ab ipsis renuntari. At quando privilegium est totius Religionis, vel per concessionem, vel per communicationem, existimo, quod solum Capitulum Generale, vel qui ejus vicem habeat, poterit renuntiare; quia per renuntiationem Provinciæ, seu Conventus semper læderetur jus acquisitum à tota Religione, & exemplum multum posset nocere cæteris, & causam præberet litigandi, & sic necessario expectandus erit consensus Capituli Generalis, vel Diffinitorij Generalis, si ejus vices ad hoc, & similia habeat. Cum id recta ratio postulet, ad bonum regimen: videntur statuta cujuslibet Religionis. No-

ta tamen quod Leo X. pro Generali, & Provinciali Minorum, & Gregor. XII. pro Generali Societatis concesserunt, ut possent, primus, cum assensu sui Capituli, & secundus per se ipsum declarare, & limitare, an usus talis, vel talis privilegij valeat, vel non. Primum habetur in *supplemento Ordinis. fol. 94. concess. 296.* Secundum in *Compendio Societatis, tit. gratiarum usus*; quod privilegium extenditur ad superiores aliorum Ordinum participantium in privilegijs; sic Donat. *Tract. 13. quest. 20. num. 10. & 11.* vide Rodrig. *Tom. 1. quest. 9. art. 2. & tom. 3. quest. 22. art. 3.* Peyrinum *Tom. 1. privileg. ad Const. 2. Iulij 11. §. 3. à num. 8. usque ad 12.* Bordon. *resol. 31. q. 1.*

II2. 5. Privilegia personalia, & quæ jus tertij non tangunt renunciari possunt à privilegiato; ita communiter Doctores, quia unusquisque proprio, & personali juri potest renunciare.

II3. 6. Est tamen notandum, quod licet renunciatio privilegij fiat ab habente potestatem, nunquam tamen nisi acceptetur à superiore concedente erit valida, & firma. Res enim per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur. Privilegia autem originem habent à Principe, ideo per ejus voluntatem præviâ renuntiatione debent dissolvi; sic Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 32. num. 2.* & omnes in *Cap. si de terra, & Cap. accedentibus, de privileg.* Verum est, quod acceptatio potest fieri, vel à Principe, & dicitur ab homine, vel à jure, videlicet quando sunt jura, vel privilegia concessa ab habente potestatem pactandi, vel renunciandi, quia tunc in ipsa concessione includitur acceptatio; & sic nulla alia acceptatione opus erit, ut magis *sect. seq. explicabimus*; sic Pelizar. *ubi supr.*

quest. 7. num. 108. Bordon. *resol. § 2. num. 110.* ubi ait: Quod hujusmodi sunt privilegia, & jura relata *supra, num. 4.* in quibus alia acceptatione non indigent Regulares ibi assignati. Quare si privilegio renuntiet, statim tenebit renuntiatio; neque ad privilegium renuntiatum poterunt redire sine nova concessione.

7. Renuntiatio autem strictè accipienda est, ita ut non extendatur ad non expressa, etiam si similia sint; quia minus debet lædere renuntiantem, quàm sit possibile. Verum est, quod renuntians intelligitur renuntiasse omnibus, quæ sequuntur ex illa renuntiatione, & etiam omnibus coherentibus, *Cap. si quis Sacerdotum dist. 81. & Cap. si quis Episcopus q. 1. & Cap. nullus primas, q. 2.* In dubio verò, de renuntiatione, non præsumitur quis renuntiasse juri suo, cum renunciare juri suo de facili, nullus præsumatur nisi prorsus liberè, & absque aliqua causa contrarium operetur, juxta dicenda *infra sect. sequent. num. 15.* sic habetur, *Cap. 5. de renunt. cum gloss. verb. Voluerit.*

8. Ex quibus duo inferunt Pelizar. & Bordon. Primum, quod renuntians privilegio, si ante acceptationem, ab habente potestatem, voluntatem mutat, gaudet suo privilegio, sicut antea, quia renuntiatio nullam habuit vim, ante acceptationem, & idem est quando renuntiatio non habuit effectum, quia jura loquantur de renuntiatione perfecta; ita præfati auctores cum Cephal *cons. 286. num. 29. tom. 2.* Secundum, infert Bordon. quod si aliquis Religiosus confessarius tædio affectus, vel ob multitudinem pœnitentium, vel ob aliam causam, facultatem audiendi confessiones, quam in scriptis habet ab Episcopo, porrigat suo superiori, vel eâ laceret

II4.

II5.

G

coram

coram ipso; protestando nolle se amplius illud munus exercere, sed omnino renuntiare tali facultati. Si postea poenitentia ductus spontè, vel ex obedientia sui Prælati, velle: ad tale munus voluntarie redire, potest: Quia illa non fuit perfecta renuntiatio, cum desideretur acceptatio Episcopi, vel Papæ, qui talem facultatem concessit.

SECTIO II.

De amissione Privilegij per non usum, usum contrarium, & per abusum.

EX varietate opinionum, non levis confusio invenitur in præsentî difficultate, ideo ut claritate desideratâ procedamus, aliqua prænotari oportet.

II6. 1. *Primum*, esse certissimum posse per non usum, & per usum contrarium, perire privilegium, si omnia requisita ad sũnt, sic communiter Doctores, & constat ex clausula, quæ apponi solet in Bullis, videlicet: *Quatenus sunt in usu, vel dummodo sint in usu.*

II7. 2. *Secundum*, privilegium posse deperdi per non usum, seu per usum contrarium, ex duplici capite, vel quia non usus includit virtuales, & tacitam renuntiationem, vel quia intercessit sufficiens tempus ad præscriptionem requisitum.

II8. 3. *Tertium*, non usum sumi *negativè*, *privative*, & *contrariè*. *Negativè*, quando privilegiatus cessavit ab omni actu privilegij, absque alio respectu. *Privativè*, quando privilegiatus sciens, & volens, & data occasione, non utitur privilegio. *Contrariè*, quando facit actum contrarium privilegio sibi concessio, v. g. solvendo decimas, à quibus exemptus erat.

II9. 4. *Quartum*, privilegium non amitti aliquo ex tribus modis assignatis, si non adsit scientia, seu notitia privilegij, vel deficiat occasio illo utendi, vel si adsit occa-

sio, se obtulit impedimentum utendi, vel denique, si deficiat libertas in privilegiato, quia si invitatus fecit, nihil ei nocet, sic communiter Doctores.

5. *Quintum*: tempus requisitum ad præscriptionem esse computandum à primo non usu, seu ab ultimo tempore, in quo quis cessavit ab usu privilegij, ut docet Suar. cum multis lib. 8. cap. 34. insuper tempus ad præscribendum non esse uniforme respectu omnium. Nam ad præscribendum contra laicos, & privatas personas, sufficit tempus decem annorum, & præcisè in præjudicialibus, sic omnes Juristæ in l. 1. ff. de nundinis impetratis à Principe, non utendo, qui meruit decennij tempore amittere; tenent, etiam omnes Canonistæ in Cap. cum accessissent, de const. quamvis Pelizar. Tract. 7. tom. 2. cap. 1. sect. 5. num. 110. dicat hoc esse speciale in privilegio nundinarum; quippè quod solet concedi hac conditione, ut per non usum decennij amittatur; quod non debet extendi ad alia privilegia, quibus non inest talis conditio, sed in hoc Juristæ consulantur.

6. Ad præscribendum verò contra Communitates, Universitates, Ecclesias, & Collegia debent intervenire triginta anni, juxta Alexandrum III. in Cap. si de terra, de privileg. sed juxta Innocent. III. in Cap. accedentibus, de privileg. desiderantur quadraginta anni, & hoc in praxi servatur, ait Donatus Tract. 12. quest. 9. num. 5. Ad præscribendum autem contra Ecclesiam Romanam, in spectantibus, primò, & principaliter, non autem secundariò ad illam, tempus centum annorum est necessarium, habetur in quest. 16. Cap. nemo, juncta 3. gloss. in Cap. ad audientiam, de præscriptionibus; quapropter ait Donatus.

rus: Omnia pertinentia immediatè ad dispositionem Papæ, & Ecclesiæ Lateranensis, ejusque res gaudent isto privilegio, ut notat Joannes Andreas *regula scienti, lib. 6. cum Silvestro quæst. 7. & alijs*; quod privilegium extendit *Paulus IV. pro Monasterio S. Pauli extra muros.*

122. 7. Denique ut Regulares amittant sua privilegia præscriptione temporis, præsupposito non usu privativo, vel usu contrario (quia per non usum merè negativum nunquam amittuntur, ut dicemus *infra*) juxta jus commune desiderantur 40. anni, *Cap. volumus 2. 16. quæst. 4. & ibi Doctores.* Sed ex privilegio *Eugenij IV. concessio Patribus Benedictinis Vallisoletanis, anno 1434. septimo Kalendas Martij, ut videre est in lib. privileg. dicti Ordinis, desiderantur 60. anni.* Idem concessit *Camaldulensibus Leo X. teste Confect. tit. 12. cap. 1. & Peregrin. in introduct. §. 4.* sed plus hunc favorem extendit *Paulus III. Const. incip. Benignitas, & est 15. in Bullario novo Romano, ubi concedit ipsis Benedictinis, ut non nisi per spatium centum annorum deperdant privilegia; sic Bordon. quæst. 41. num. 122. & Pelizarius quæst. 8. num. 113. & Pius IV. anno 1507. pridie Idus Junij, concessit Congregationi Montis Oliveti, quod sicut contra Romanam Ecclesiam, non nisi centenaria currit præscriptio, ita quoque respectu dictæ Congregationis, habetur in lib. privileg. S. Benedicti Romæ impresso anno 1589. pag. 802. videatur Rodrig. Tom. 3. quæst. 35. art. 2. ubi refert aliam amplissimam concessionem, factam ipsis Benedictinis, ab ipso *Eugenio IV. in qua concedit, ne contra dictorum Patrum privilegia, ullo modo possit præscribi, & adducit Bullam in suo Bullario, & est 9. in ordine;**

sic *Portel de dubijs Regular. verb. Privilegium, n. 4. in addit. Diana 3. part. tract. 2. resolut. 8. Joann de la Cruz. lib. 2. cap. 3. dist. 2. conclus. 2. quod sine dubio (aut Pelizarius) est magnum privilegium; siquidem adhuc durat, estque Bullatum; sed, de usu illius dubitat, quoad forum externum, in quo utique non pauca omitti debent, quæ aliàs in foro conscientie licitè fieri possunt, quod notari debet.*

8. Et quia præfatum privilegium magni ponderis est pro hac materia, & ex illo ab omni anxietate liberari possumus; referam quædam verba illius videnda fufius, si oportuerit, cætera, in Bullario *Rodrig. loco citato; concessit ergo Eugenius IV. Congregationi Benedictinorum S. Justinæ sequentia: Quod si contigerit per aliquem, aut plures actus, contra hujusmodi, aut quacunque alia privilegia, indulta, gratias, immunitates, præfata Congregationi concessa, aut ipsorum aliquid à quocunque, cujusunque conditionis, gradus seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quavis causa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore observatum ignoranter, vel scienter, nullum tamen præjudicium dictis privilegijs, indultis, gratiis generetur, sed in suo vigore ac robore permaneant; hæc Pontifex.*

9. Quibus prænotatis, dico primò: privilegia merè gratiosa, id est, illa, quæ nulli nocent, neque juri alterius opponuntur, nunquam per non usum, sive negativum, sive privativum deperduntur; etiam exclusis privilegijs relatis, *num. 7. antecedenti.* Ratio est quia neque in jure civili, neque in Canonico, neque in alia lege, reperitur jus, quod det talem efficaciam non

utitur, vel quod determinet tempus fundamentum in ipsomet non usu, ut amittantur privilegia; & cum simus in materia odiosa, non debemus alia attendere. Quæ conclusio procedit in utroque foro, sic Merol. Tom. 3. de privileg. disp. 6. cap. 7. cum multis, quos allegat Laiman, lib. 1. trad. 4. cap. 23. num. 20. de privileg. Donat. Trañ. 12. quest. 7. & alij communiter.

125. 10. Unde inferitur, quod privilegia possunt amitti per non usum, solum ex duplici capite, vel ratione prescriptionis, vel ratione tacite renuntiationis, neque excogitabilis est alius modus.

126. 11. Dico secundò, nunquam invenitur tacita renuntiatione in non usu privilegiorum Regularium, sive negativis; sive privativo, & sic nunquam deperduntur, virtute talis renuntiationis. Loquor de privilegijs merè gratiosis, quæ alijs onerosa non sunt, sive juri alterius non nocent. Tum, quia tacita renuntiatione deducitur ex quadam juris interpretatione, quæ locum non habet, nisi in casibus à jure expressis, ut docet Paris. de resig. beneficior. lib. 1. quest. 1. Non usus autem illam non inducit, quando nulli nocet. Privilegium enim, seu lex quæ dat facultatem ad agendum, non necessitat uti privilegio, sed dat privilegiato liberum jus, ut scilicet utatur privilegio cum voluerit. Tum etiam, quia dato, & non concessò, quod privilegia gratiosa Regularium possent per non usum amitti; hoc non potest probari, nec certò sciri, quia privilegia gratiosa, fere omnia exercentur secrete, ut absolutiones, dispensationes, & alia similia. Nam si unus detur, qui non utatur, alius utitur, & si in una Religione, seu Provincia non utuntur, in alijs utentur; sic Rodrig. Tom. 1. quest. 8. art. 4. in fin. Donat. & alij, Unde

benè notant Portel. verb. Privilegium; num. 55. Pelizarius Trañ. 8. cap. 1. sect. 6. quest. 8. num. 114. quod ut privilegium concessum alicui Ordini, non censeatur amissum, sufficit, quod illud sit in usu apud aliquam, seu aliquas Provincias vel Conventus ipsius Ordinis, vel aliorum Ordinum, si participet in privilegijs. Quia licet privilegium deserit per non usum, vel quid simile, etiam in omnibus Provincijs, & Conventibus alicujus Ordinis; si tamen sit in usu apud aliquem alium Ordinem, & ille ordo in hujus privilegijs communicet, poterit talis ordo uti dictò privilegio, non secus ac si de novo ei concederetur, aut nunquam cessaret ab usu; nam quod talis ordo non fuerit usus aliquo ex privilegijs concessis alijs Ordinibus, cum quibus habet communicationem, non obstat, quod possit incipere nunc de novo uti suis privilegijs.

127. 12. Adverte tamen, quod tota hæc doctrina intelligatur de privilegijs affirmativis, idest, quæ aliquid faciendum indulgent, nam de merè negativis, in quibus conceditur facultas non faciendi, quod erat faciendum, & non tangunt jus tertij, nunquam per non usum possunt deperdi, sed potius per non facere observantur, cum eorum usus consistat in non usu rei, quæ sine privilegio debebat fieri.

13. Quæ autem sint privilegia merè favorabilia, diximus disp. 1. sect. 1. 2. & 3. scilicet per totam, videantur ibi dicta ne bis repetantur.

14. Dico tertidò, privilegia onerosa, idest, quæ alicui juri nocent, vel vergunt in damnum tertij; possunt amitti, vel per non usum privativum, vel usum contrarium, si cetera adsint, videlicet legitima prescriptio, vel tacita renuntiatione à jure

præ-

sumpta, & sit scientia privilegij, & libertas omittendi inveniatur; & hoc siue privilegia sint negativa, siue positiva, quia omnes obligationes, ac servitutes, tam reales, quam personales, extinguuntur, si altero jure suo pro temporum occasione, & libere nunquam utente, res obligata decursu legitimi temporis possideatur, & ut libera, usucapiatur à tertio laeso, & hoc ideo, quia hujusmodi privilegia redundant in damnum aliorum; quapropter jura, quae disponunt de amissione per non usum, in similibus locum habent, quatenus in beneficium tertij gravati, impedimentum gravaminis auferunt, quo sublato Dominus re sua liberè utitur, & potitur; ita Suarez *lib. 8. de leg. b. cap. 34. num. 16.* Bonacin. *de leg. disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 15. num. 3.* Tamburin. *de jur. Abb. tom. 1. disp. 16. q. 4. num. 3.* & alij. Sit exemplum in illo, qui haberet privilegium celebrandi, v. g. in aliena Ecclesia, seu Capella: iste si datà oportunitate, & sine impedimento, non celebraret per tempus sufficiens ad praescriptionem, amitteret tale privilegium, & posset impediri, vel à Parocho, vel à Domino Capellae, quia admittendo tempus ad praescriptionem requisitum, ex dispositione juris, tollitur gravamen tertij, & perit privilegium.

129. 15. Similiter, si quis ab ordinario exemptus per privilegium personale, absque protestatione, & rationabili causa voluntariè se subdat jurisdictioni illius, etiam per unum actum contrarium, saltem profore exteriori amittit privilegium, nisi aliud constare possit, ut jam dico. Ratio est, quia particularis absolutè disponere potest de proprijs bonis, & in tali casu praesumit jus, renuntiare proprio privilegio per actum contrarium, liberè, & abs-

que necessitate admissum: ita Tapia in *Commentarijs ad l. fin. de constitut. Princip. part. 2. cap. 2. num. 7.* Donat. *q. 13.* & constat ex *Cap. Cum accessissent, de constitut.* & ex *Cap. Accedentibus, de privileg.* sic Pelizar. *num. 112.* Laiman. *lib. 1. tract. 4. cap. 23 num. 23.* & Suarez *supr. cap. 35. num. 25.* Donat. *q. 12. num. 4.* cum communij Doctorum: Addunt verò, quod licet privilegiatus spontè exerceat unum, vel aliquos actus contrarios, non habens simpliciter animum renuntiandi privilegio, sed solùm, quoad illum, vel illos actus, non amittit privilegium, quoad forum conscientiae circa alios, cum talis amissio fundetur in praesumptione renuntiationis, quae cessat ubi constat de veritate; imò neque amitti privilegium, quod ad forum externum, si constet, aut ex indicijs colligatur defuisse animum simpliciter renuntiandi, & tempus legitimae praescriptionis non transijt; una cum tacurnitate privilegiati. Recole dicta *sect. 1. hujus disputat. num. 15. & 16.*

16. Colligitur totum ex *l. voluntaria, §. 130. C. de excusat. tutor.* ubi dicitur: Quod voluntariae tutelae munera privilegijs nihil obstant, hoc est, quoad futura munera non voluntaria, & subjungit *gloss.* quod si quis ex Capitulo habeat privilegium non solvendi decimas, si illas solvat, semel, & iterum, etiam ex communi consensu Capituli, non ob id amittet privilegium, quoad futuros actus; quia licet valeant actus, quoad illas solutiones factas, quoad futurum non praedjudicant, quia dum non constat, non praesumitur Capitulum renuntiasse, nisi quoad illos actus, ita Innocent. in *Cap. relato cum accessissent, Pannonitanus in Cap. pro illorum, de praebend. Thusc. litt. P. conclus. 756.* Mandos.

de privilegijs ad instar. gloss. 15. num. 22. Quia in odiosis non præsumitur Capitulum sibi nocere velle, nisi in levi, & minimo, & in quo se explicat, & cum sufficienti causa. In dubio autem non præsumitur renuntiare, ut docent Pelizar. & Donat. sed tu ad lites tollendas adhibe semper protestationem; nam protestatio excludit omnem voluntatem renuntiandi, Suar. lib. 8. de legib. cap. 35. num. 3. & 24. Salas disp. 17. sect. 13. num. 66. de legib. vide dicta sect. 1. relata.

131. 17. Quæ doctrina multò magis vera erit, quando privilegium se extendit ad diversas res; quia non ex eo, quod in aliqua adsit actus contrarius, læduntur aliæ partes privilegij; imò potius non desunt, qui sentiant, quod etiam si adsit longissimum tempus ad præscriptionem requisitum, in quo non utitur quis suo privilegio, quòad aliquam partem, utendo eo, quòad alias, nihil deperditur de toto privilegio; ita Seraph. decis. 1043. num. 4. & ad probandum multa adducit, & iudicat probabile Donat. q. 8. n. 2. licet oppositum, ut probabilius sequatur, videlicet, quod deperditur quòad illam partem, in qua datur legitima præscriptio.

132. 18. Hic dño notanda veniunt. Primum, cum ex dispositione juris amittatur privilegium, vel per temporis præscriptionem, vel per tacitam renuntiationem inclusam in usu contrario, ut constat ex Cap. cum accessissent, de const. & docet Suar. cap. 35. num. 5. cum communi; non est opus acceptance Pontificis, quia ab ipso jure conceditur facultas acceptandi talem renuntiationem à tertio læso, v. g. ab Episcopo, cui exemptus subijcitur, vel à tertio præscribente.

133. 19. Secundum, quod contrarius usus

privilegij per aliquem Religiosum, vel particulare Monasterium, vel etiam Provinciam, non tollit privilegium concessum toti Ordini, quia contrarius usus per quem amittitur privilegium debet esse ab habente potestatem renuntiandi, vel expressè, vel tacitè, quæ in jure idem sunt. Potestas autem renuntiandi absolute privilegio reali, non manet in particulari aliquo, sed refidet in toto Capitulo Generali representante totam Religionem, ut diximus supr. ita Portel. num. 6. Pelizar. q. 9. n. 118. & alij.

20. Dico quartò, privilegium amitti potest per abusum, tam non utendo illo, loco, tempore, ac mensurâ præscriptâ in ipso; quàm utendo extra limites privilegij. In quo casu actus est nullus, ex defectu potestatis: & etiam amittitur, aliquid iniquè faciendo spe, occasione, aut licentiâ, desumptâ à privilegio, & etiam agendo contra formam ipsius privilegij; constat ex multis iuribus relatis à Donato quest. 14. & Pelizar. q. 10. sed cum amissio privilegij, ob abusum, sit pœna inflicta à jure, ob culpam; juxta qualitatem culpæ merienda est, & videnda, quæ apponitur in Sacris Canonibus, ut bene notant Tamburin Tom. 1. de jur. Abb. disp. 16. q. 14. num. 10. Meroll. Tom. 3. de privileg. cap. 7. dub. 3. num. 112. Donat. q. 14. per totam, & cum hæc sit pœna imposta à jure, ut incurrarur expectanda est sententia, saltem declaratoria delicti; etiam quando in jure asseritur, quod ipso facto incurrarur, vel non expectatâ sententiâ, & sic ante sententiam, non tenetur abutens, se privare privilegio, ita Suar. cap. 36. n. 8. Pelizar. q. 10. & est communis inter Doctores.

21. Addo, saltem in foro conscientie, Religiosos irregulariter viventes, per ab-

usum.

usum suæ regulæ amittere privilegia, ut constat expresse ex *Cap. cum cessante, de appell. gloss. in Cap. generaliter, §. non divagantes* 16. q. 1. Bald. in *l. semper ff. de jur. immunit.* & testatur Papa *Eugenius* in *Bulla* concedente fructus beneficij in absentia, causâ studij Scholaribus Universitatis *Salmantinae*, ut docent *Silvester, verb. Privilegium, q. 10. Mirand. Tom. 2. q. 43. art. 3. Rodrig. Tom. 1. quest. 9. art. 10.* & alij: unde ex dictis in hac sectione, & in præcedenti, & ex dicendis in duabus sequentibus deducunt, & bene, *Bordon. resol. 52. quest. 4. num. 122. & Pelizar. q. 8. num. 113.* Quod etsi aliqui Pontifices in confirmatione privilegiorum apponant has Clausulas Restrictivas: *Modò sint in usu, vel modò non sint revocata*, quia tamen alij multi confirmaverunt talia privilegia, ampliori gratiâ absolute, sine Clausulis restrictivis, ut videbimus *infra*; consequenter ex tunc vetera privilegia valida, & firma existunt; & quæ erant invalida, seu nulla prætextu non usus, vel abusus, vel contrarij usus, vel privati usus, aut factæ præscriptionis, denuo cœperunt valere, ac si tunc primò concessa fuissent, & aboleretur quævis cœpta præscriptio adversus illa; ita cum relatis authoribus *Confect. tit. 1. cap. 3. §. nec etiam, & tit. 12. cap. 1. de præscript. For. tit. num. 63. Joann. à Cruce concl. 6. Peregr. in introduct. §. 5.* & secundum intellige; videas ergo quàm difficile sit, quod privilegia, ex relatis capitibus, inveniuntur invalida, seu amissa; sed ad hæc plura dicemus, loquendo de revocationibus, & confirmationibus privilegiorum.

SECTIO III.

De amissione privilegij ex cessatione cause finalis.

1. CUM paria sint in jure, privilegium

à principio non habere causam; & causam jam finitam esse, loquendo de totali, ut constat ex *l. nihil interest, ff. de nautico sænore*; necessariò dicendum est, quod in privilegij merè gratiosis, id est, quæ non derogant juri communi; neque juri tertij; etiam si cesset causa finalis totalis, non cessat privilegium; quia tale privilegium, ut validè concedatur à principio, imò secundum aliquos, etiam ut licitè non requirit causam, nisi ad summum, ut prudenter, & honestè detur. Quare semel concessò, non expirat, adhuc spirante causa. Siquidem illa solùm fuit requisita, ut Princeps honestè, & prudenter moveretur ad ejus concessionem, non verò ad ejus conservationem, & sic temper durat, quamvis causa cesset. Decet enim beneficia Principis præcipuè merè gratiosa esse perpetua, sic communiter Doctores.

2. Nec cessat privilegium ob cessationem causæ impulsivæ; hæc enim sicut à principio non dat gratiam, sed facilitat, ut detur; sic postea, etiam si ipsa cesset, non vitiat concessum. Neque cessat privilegium absolute per cessationem ad tempus causæ finalis totalis, sed suspenditur usus pro illo tempore, non verò pro alio, in quo usus erit honestus. sic *Suar. cap. 3. 2. num. 14. Pelizar. quest. 5. n. 95.* sit exemplum: Habeat quis privilegium vescendi lacticijs tempore quadragesimæ ob penuriam piscium in loco ubi habitat; transeat per aliquod tempus ad locum ubi abundant pisces, non poterit pro tali tempore privilegio uti, quia est suspensum privilegium; si autem transiret ad habitandum stabiliter, absolute amitteret privilegium, ut jam dicam, quia tale privilegium erat locale, non verò personale.

3. His prælibatis dicendum est primò,

137.

138. cum

cum communi Doctorum, quod in privilegijs, vel quæ juri communi opponuntur, vel juri alicujus tertij: si causa finalis cesset contrarie, cessabit privilegium totaliter, si cessat causa finalis totaliter; si vero solum cesset partialiter, idest, quoad aliquam sui partem, quoad illam, cessabit privilegium. Contrariè cessat causa finalis, quando usus privilegij factus est injustus, iniquus, & perniciosus alijs, vel ipsi privilegiato. Quod evenire solet ob mutationem materiæ, aut circumstantiarum; ut si alicui Monasterio applicetur à Pontifice pars aliqua decimarum alicujus Ecclesiæ, quæ tempore concessionis poterat ex reliquo sufficienter sustentari, & postea mutatis rebus, non potest talis Ecclesia sustentari sine parte sublata, privilegium cessat. Item habet quis privilegium vescendi carnibus tempore quadragesimæ ob talem infirmitatem; cessante infirmitate, cessat privilegium. Similiter, si Episcopus recipiat mandatum dispensandi super irregularitate alicujus, ut Ordines possit suscipere propter parentum pauperatatem, si talis acquirat divitias ante susceptionem Ordinum, non poterit, nec licite, nec validè tali dispensatione uti. Tum, quia hæc privilegia censentur concessa sub illa causa, & conditione, quæ si adsit, permanent; si absit evanescent. Tum, quia valor privilegij, non extenditur plusquam intentio concedentis, quæ, non est credibile, ut extendatur, cessante causâ totali, ad læsionem legis communis, vel juris alterius, deficiente causâ totali. Hoc enim est contra dictamen rationis, quia privilegium, eo ipso quod est injustum, seu dere illicita, est nullum: Cum sit eadem ratio, ut diximus de conservatione privilegij, ac de inceptioe. Et quia nullo modo dari potest facultas ad agendum

malum; unde sicut cessat lex cessante causâ per contrarietatem, debet cessare privilegium, quod est quædam lex, & tantò mutabilior, quantò minus communis; ita Sanch. lib. 8. de matrimo. disp. 30. num. 13. & 14. Suar. lib. 8. de leg. cap. 30. num. 12 & 13. & lib. 20. num. 15. Salas disp. 20. tract. 14. sect. 6. art. 65. Bonacina multos allegans Tom. 2. de leg. disp. 1. q. 2. de dispensat. §. 1. num. 5. Pelizarius, Donatus, & alij communiter.

4. Unde bene inferitur, quod si alicui Conventui, vel Provinciæ concessum sit privilegium vescendi lacticinij in diebus à jure prohibitis, ob magnam penuriam piscium, non gaudebunt tali privilegio Provinciæ, seu Conventus, ubi hæc causa finalis cessat; quia tale privilegium est locale, & quasi personale, esset magnum absurdum contrarium asserere,

5. Dicendum est secundò; etiam si cesset causa finalis totalis privilegij, si tamen cesset, non contrariè, sed solum negativè, quando ratio, quæ induxit Pontificem ad concedendum privilegium non amplius subsistit, usus tamen privilegij non redditur injustus, neque opponitur alicui virtuti, durat privilegium, quia in tali casu, & si cesset ratio, seu causa finalis concessionis negativè, non ideo fit injustum, seu iniquum, cum usus ejus adhuc sit justus, licitus, & uti is ad multa; ita Granados 1. 2. controvers. 7. de legib. disp. 17. tract. 3. sect. 4. Pelizar. q. 5. num. 94. & 95. colligitur clarè ex Suar. Sanch. & alijs relatis pro præcedenti conclusione. Vide sis de privilegiorum amissione compendiosè differentem è nostris Antonium à Spiritu Sancto, loco supradict. sect. 7. Francisc. Bonæ spei Tom. 4. suæ Theolog. Tract. 3. disp. 11. dub. 7. & Urbanum ab Ascensione Tract. 2. Theolog. moral. cap. 5.